



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio CXII. Perpetuum altaris sacrificium idem est cum sacrificio aræ crucis, non tantùm in repræsentando, sed etiam in essendo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)



CONSIDERATIO CXII.

Perpetuum altaris Sacrificium idem est
cum Sacrificio aræ crucis in præsentando,
& in effendo.

Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis. I. Cor. II. 26.

I.

Malachias Prophetarum ultimus non obscure prævidit, quòd omnia Sacrificia Aaronica brevi essent abolenda, & locum illarum victimarum legalium Sacrificium crucis & Missæ Christo substituendum, unde dixit: *Ab ortu usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Est autem hoc SS. Missæ Sacrificium planè idem cum Sacrificio crucis, non solum in commemorando, & representando, sed etiam in effendo; hinc statuit Sancta Synodus Tridentina: *In hoc, inquit, divino Sacrificio incruentè immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruentè obtulit.*

Ex quo patet, quòd Christus SS. Eucharistiam nobis reliquerit in memoriale passionis ac mortis suæ, ut ex hoc infinitum sejus erga nos amorem agnoscamus: *Cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Unde concludit S. Bernardus hanc immensam omnipotentis Dei erga nos charitatem esse sæpius & emphaticè mente versandam: *Adora devotius, & recole frequentius in Sacramento altaris salutem mundi pro te passam, vitam pro te mortuam, fortitudinem infirmam: Si membrum Christi es, compatere capiti tuo: Si frater Christi es, commorere fratri tuo &c.* O quàm pauci sunt, qui hoc faciunt.

2. Et nunquid Sacerdos sacrificans in vestitu & habitu Christum representat patientem & crucifixum? *Amictus*, qui primò ejus capiti imponitur, designat velum, quo Judæi faciem ejus tegebant. Secundum Sacerdotis indumentum est *Alba*, seu tunica lineæ, & designat vestem

Malach. 1. II.

S. C. 22. c. 2.

Jo. 13. 1.

S. Bernhard.
serm. I. in
cena Domini

vestem albam, in qua Christus ab Herode illusus est. Tertiò *Zona*, qua Sacerdotalem cingit, & coërcet Albam, præfiguratur funes, quibus Dominus captus, & ad lanienam protractus est. Quarto *Manipulus* in brachium Sacerdotis immixtus, symbolum vinculorum est, quibus erat ligatus. Quintò *Stola* in collum Sacerdotis injecta representat suave jugum Christi, & catenam, quam impii carnifices collo ejus imposuerunt. Sextò *Casula* purpuram coccineam denotat, quâ post flagellationem, tanquam Rex scenicus indutus est. Septimò Sacerdos coronam in capite gerit, & crucem in casula efformatam, & sic indutus altare, velut *Calvarie* montem ascendit, eamque hostiam Deo Patri offert, quam *Filius* quondam in illo cruento crucis Sacrificio obtulit: *Uua*, ait Concilium Trident: *eademque est hostia, idem* Sess. 22. c. 2. *nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, solâ offerentia ratione diversi.* Collige ex hoc anime mi, quod docet Sancta Synodus, *sacrificium illud vere propitiatorium esse;* Et paulò post: *Hujus quippe oblatione placatus Dominus, gratiam & donum penitentia concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit.* O grande prodigium amoris divini! Accedit quòd in qualibet hostia sit imago Crucifixi, vel SS. Nomen *Jesus*, vel subinde etiam *agnus immaculatus*? Sicut enim Christus dicitur *Agnus occisus ab origine mundi*, eò quòd mortuus censetur in figuris animalium, quæ in ipso in lege veteri mactabantur memoriam: Ita non immeritò eundem appellare possumus *Agnum*, qui quotidie occiditur usque ad finem mundi, & in hac nimirum suæ mortis representatione, quæ duratura est, donec mundus durabit: *Mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.*

1. Cor. II. 26.

3. *Agnus ille legalis & immaculatus non debet manducari crudus, sed assus igne: Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aquâ, sed tantum assum igni.* Agnus hic, prout alibi diximus, præsignavit *Agnum* divinum, crucifixum *Jesus* in SS. Eucharistia realiter existentem: Si communicans ad illum vult accedere, igne charitatis ardeat, necesse est, ne iudicium sibi manducet: *Non comedetis ex eo crudum.*

Exod. 12. 9.

Ingens ille *Botrus uvæ*, quem *Exploratores* in vecte suspensum attulerunt ad castra *Israel*: *Absciderunt palmitem cum uva sua, quem porterunt in vecte duo viri,* Christum in cruce suspensum & Eucharisticum præsignavit: *Botrus Cypri Dilectus meus mihi.* Ex quo mystico *Botro*, in torculari *Calvarie* expresso, promanavit preciosus ille *Sanguis*, quo in SS. Eucharistia Sacramento potamur, & nutrimur. Proinde content, ut, quoties ad SS. Eucharistiam accedimus, memores ejus passionis & crucis simus. Pereleganter in hanc rem *Honorius*: *Uva in*

Num. 13. 24.

Cant. 1. 14.

Ggg 3

prato

- Hon. Aug. 1. de antiq. miss. c. 33. *prælo duobus lignis expressa, in vinum liquatur; & Christus duobus lignis cruce pressus, sanguis ejus in potum fidelibus fundebatur.*
- Hebr. 9. 4. 4. In arca quondam foederis erat Manna & virga Aaronica: *in qua urna aurea habens Manna, & virga Aaron, qua fronderat.* Per Manna juxta mentem ferè omnium SS. Patrum SS. Eucharistia præsignata est, & per virgam Sancta Crux. Si igitur devotè ad SS. Eucharistiam discipulis accedere, passionem Domini mente prius revolve; hoc enim noster præcepit Salvator, dum instituto hoc SS. Sacramento, dixit:
- Luc. 22. 19. *Hoc facite in meam commemorationem.*
3. Reg. 19. 16. Elias dormiens in umbra juniperi ab Angelo pane subcinicio refectus est, in cujus cibi fortitudine ambulavit quadraginta diebus & quadraginta noctibus usque ad montem Dei Horeb. Quæres hic, unde huic pani tanta virtus? R. Lyranus: *Comede Sacram Eucharistiam, cujus hic panis cœlitus ab Angelo subministratus, pulcherrima figura fuit; spinosa autem juniperus, ait Dionysius Carthusianus, crucem Salvatoris præsignavit. Quid igitur mirum, quod Elias tantoperè in illa persecutione fuerit confortatus?*
- Ruth. 2. 14. 5. Booz vir opulentus ad pauperem Ruth, spicas deciduas in agro colligentem, dixisse fertur: *Comede panem, & intinge buccellam tuam in aceto.* Hic panis intinctus in aceto significavit Eucharistiam sumendam commemorando simul passionem Christi. Hinc S. Augustinus: *Nos de cruce Domini pascimur, quia corpus ipsius manducamus.* In quem finem olim in Ecclesia Dei fideles communicaturi manus suas in formam crucis super pectus suum componebant, tanquam passionis & crucis Christi memores ac participes: *Hoc facite in meam commemorationem.*
- S. August. in Pfal. 100. Magno quondam solatio fuit Mulieri illi Sareptanæ, quod adhuc in summa annonæ penuria, nunc ad mortem se disponens, habuerit parum farinae, paululum olei & duo ligna; Unde ad Eliam Prophetam dixit: *Vivit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem, nisi quantum pugillus capere potest farina in hydria, & paululum olei in lecytho: Et colligo duo ligna, ut ingrediar, & faciam illum mihi & filio meo, ut comedamus, & moriamur.* En præviam & seriã ad mortem nostram dispositionem: Pugillus farinae, ex qua panis conficitur, in umbra denotavit SS. Eucharistiam; paululum olei Sacram & Extremam unctionem, & duo ligna, juxta mentem Ruperti Abbatis, duo ligna crucis. O felices nos, si his instructi, & verè dispositi à corpore mortis hujus ad meliorem & æternam possimus transire vitam. Vide ex his omnibus, quomodo sacrificium crucis & altaris inter se convenire soleant.

6. Ad historias transeamus. Anno 1408. in Durnensi oppido ^{Serarius apud Raynaldum,} in diocesi Herbipolensi sito, Sacerdos quidam negligens faciebat sacram, & ex celeri hinc inde manuum motu calicem consecratum in subiectum effudit corporale; ubi sine mora species vini divinitus in sanguinem veræ sunt, & in medio corporalis clarissimè videbatur ^{Serius 17. Nov.} effigies crucifixi Redemptoris.

Refert Surius de Sacerdote vitæ dissolutæ, quòd in quadam villa ^{Le Blanc in Pl. 21. v. 28.} in Anglia solemnia missarum celebraverit; & cum post Elevationem Sacra Hostia fragenda erat, sanguis protinus emanaverit. Tremefactus Sacerdos vitam mutavit in meliorem.

Cum Urbanus IV. Pont. Max. in Viterbiensi moraretur diocesi, Sacerdos quidam dubitans de reali Christi in SS. Eucharistia præsentia, legendo missam advertit unâ cum multis circumstantibus, quòd Sanguis ex Sacra Hostia in suppositum copiosè profueret linteum, seu corporale dictum; quod ubi Summo Pontifici relatum est, dictum corporale divino Sanguine rubicatum in solemnibus supplicatione deferri iussit; qui ritus etiamnum continuatur, atque quotannis summa cum veneratione per urbis plateas frequenti cum pompa & populi veneratione circumfertur.

Ex quibus patet, quàm bene inter se conveniant & SS. Eucharistia & Christus Crucifixus. Disce igitur, quicumque tandem es, utrumque humiliter venerari, ut, cum SS. Missæ Sacrificio assistis, pariter oculos & animum in Christum Jesum & hunc Crucifixum hæctas; Et licet te premant peccata, nihilosecius cum magna fiducia ad hanc placabilem aram & gratiæ thronum accede; & experieris, quòd utrumque hoc sacrificium, & cruentum & incruentum sit verè propitiatorium,

